EPITHALAMIA
HENRICO STROBAND
VIRO
Genere, Virtute, & Doctrina Nobili,
HENRICI
CONS. ET SCHOLARCHÆ
Reipub. Thorun. Primarij
FILIO
secundò celebranti nuptias
Cum
IVDITHA
DN. HERMANNI BENCKENDORF
Senatoris Mariæburgensis
FILIA.
Nonis Viibr. Anno CIↃ IↃC III. 1603
Consecrata
Ab AMICIS congratulantibus.



THORVNII
EXCVDEBAT ANDREAS COTENIVS. 1603

IN

Insignia Gentilicia

ANTIQVAE DOMVS

STROBANDINÆ

ex

MARCHIA

oriundæ.

Rebus in adversis celsam duo Cornua mentem;
Nobile designat Cassis aperta genus:
Circulus est Virtus; Gentis sunt fœdera Nodi;
Doctrinæ lumen sanguine tincta Rosa est,
Munificos animos duplices testantur Aristæ,
Inq; gregem CHRISTI Principis, inq; Scholam.

M. Caspar Frisius
Thorunien. F.

Sponsi Precatio
AD
FILIVM DEI PARANYMPHVM.

AVspicio auxilioq; tuo tua templa maritus
Ingressus fuerā, te duce, Christe, nouus.
Te dante, ex dulci suscepi & Coniuge prolem,
Cresceret in laudes semper vt illa tuas.
Sed mors sæua meum viduauit coniuge lectum,
Spem gratæ & sobolis sustulit atra mihi.
Hinc vixi viduus, magno mœrore dehiscens,
Sicut hiat tellus, cum Canis vrit agros.
At tu, qui releuas dulci solamine mœstos,
En rursum in nostro gaudia corde nouas.
Et pro REgina, me deposcente, IVDITHAM,
Associas: laus sit, gloria sitq; tibi.
Et quia nos casto connectis amore, perennet
Effice in amborum pectore castus Amor.
Effice, vt in nobis dulcis Concordia regnet,
Cumq; annis crescant pignora, crescat Amor.

προσφώνησις.

Ad

CONVIVAS CANDIDOS
& beneuolos.

COnuiuæ, nostro quicunq́ fauetis honori,
Saluete, et paucis excipite ista precor,
Fronte serenatâ profundite vota: secundum
Coniugium vt nostrum Fata secunda beent.
A IHOVAH exorsi, festiuos edite plausus,
Et posito mentes exhilarate mero.
Vrbani placeant sermones: carmina vatum,
Musarum & numeri pectora vestra iuuent.
Et dulcis cantus submissâ voce, tubæq́,
Refracti & placeat clausula grata soni.
Omnia lætitiæ sint plena: & ne velit vllus
Exercere isto iurgia sæua die.
Namq́ dies sacer est, sacra quo primordia nostri
In mentem generis sunt reuocanda die.
Vt verò hòc vestrum pertentent gaudia pectus
Promptiùs, occultis ipse præibo iocis.
Si quis in occulta hæc oculatus viderit: vnum
Ille mihi poclum præbibat: & rebibam.

ÆNIGMA I.

EST res, quæ ferrum mollit, quæ ſaxea mollit
(Res ea mira nimis) vaſa tepore ſuo.
Profluit ex oculis: oculis tamen illa carere,
Quando aliquid mittit ſub ſua regna, ſolet.

II.

Eſt lentum & pauidum, quoniam fur territat illud:
Et maius fratrum pondere pondus habet.
Eſt vulgi votum: ſapienti temnitur: vnum
Audaces animos efficit atq; feros.
Vincitur hoc Probitas, virtus, Pietasq; Fidesq;,
Imperio & paret ſtantis in orbe Deæ.

III.

Viuo equidem, nec mars rapuit me, viuo: ſepultus
Sum tamen: in tenebris nec mihi Phœbus adeſt.
Non tellus, non ſaxa tegunt, nec in aëre verſor:
In vivo tumulo vivo: vehorq; DEO.

IIII.

Planta fuit, primùm ramis quæ ſola carebat,
Adnato ramo lætior inde fuit.
In ramo enituit flos, illo ex flore deinceps
Enituit fructus, dignus amore nouo.
Deſecuit ramum peracuta falce putator:
Spes demta hinc fructus vberioris erat.
En nouus in planta ramus prorumpit eadem:
Spes noua ſic fructus vberioris adeſt.



AD SPONSVM.

QVæ noua fert nouus Autumus, vix visa Borußis
 Ante viris? quod ver, Sponse nouelle, nouum?
En HENRICE tui STROBANDE parentis in horto,
 Vna repubescit flore recente pyrus;
Præbuit & postquam Pomona rubentia poma
 Nunc iterum cæpit flore nitere nouo
Quid sibi naturæ nouus & mutabilis ordo
 Vult, vel in autumno tempora veris erunt?
Prospera (Dij faciant) vt ea omnia in omina tendant,
 Et tendunt, veluti res satis ipsa probat;
Nempe vt in autumno, facies ridentis Olympi
 Mox est, mox lucem nubila fusca negant
Sic & vestra domus, vix vt noua gaudia cæpit
 Mox mæroris eam vis inopina ferit:
Attamen Autumno, vegeto plenißima succo
 Et Pomona viret, floret & ipsa pyrus
Sub crucis Autumno, Sic prospiciente IEHOVA,
 Vestra domus læti tempora veris habet;
Floruit ante modis varijs, nunc floret amore,
 Sponsus es, est tua nunc Sponsa BENIGNA soror.
Ancillæq; domus Sponsæ; Sic florida Sponsis
 Vestra nouis vernat, vernat amore domus.
ERGO SPONSE meis & amate & amande Camænis
 HENRICE, Aonidum nobile delitium?
Nunc quod in Autumno mæroris, amoris adornas
 Festa, viretq; tuus flore recente torus;
Gratulor, vtq; diu flos hic tibi floreat opto;
 Vestraq; flore nouo rideat aucta domus:
Rideat & vireat, ridente, virente, STROBANDO
 Patre tuo, & tecum matre valente. VALE

ECHOA.

ECHOASTICHON.

NYmpha Thoruniacis resonãs in vallibus Echo
Vocis mater aue, Ter aue, *mihi nonne loqueris?*
Quæris: *dum prope te sto quæro nilne negotiĩ est?*
Ociĩ est; *dic igitur cur acclamatur* amatur: *(tha?*
Qui nam concordant? Cordant. *nũ Sponsa Iudi-*
Est ita. *num Sponsus Musis gratissimus hospes,*
O spes, *Strobandus thalamum renouabit?* Ouabit.
Progredere vlterius mecum resonabilis Echo
Vocem vt dispergas pergas *nunc ocyus omnes*
Corde flagrent pio Io *mecum Iovamq́ precentur*
Conjugij authorem Fautorem *vt fæderis huius*
Solus principium pium *opus Fideiq́* Deiq́;
Prosperet, & Sponsos longos conseruet in annos
Sanos, *det thalami nova pignora, sint pia lecti*
Vincula grata, rata *& maneant ea prospera,* Spera.
Sic votum claudo Laudo, *jam tu quoq́ finem*
Concedas, Cedas. *Ergo peramabilis ECHO*
Te solã linquã hac in valle, Vale, *ipse subibo*
Ædes Sponsorum lætus pede sollicito, Ito.

Matthias Nizolius Gymnasij
ProRector F.

ALIVD.

NOn tristes pluuias, nec frigora deijcit omni
Tempore, cui paret machina vasta, DEVS.
Interdum Phoebi succendit amabile lumen;
Atque probè exsiccat, quæ maduêre diu.
Tristia lætitiæ miscentur; nulla sub orbe
Phoebes est rerùm certa putanda quies.
Omnia mutantur; nulla est constantia; & ipsa
Mens hominum varias sentit habetq; vices.
Sic HENRICE tibi mæror tua corda coquebat,
Quando tuæ caderet spes generosa domus.
TROSTIA enim ingentes curas studiosa leuabat,
Quas vitæ hæc ratio quottidiana parit.
Nunc iterum mœror penitus de corde recessit,
Et successerunt gaudia casta, tuo.
Quantus & antè dolor, cumulus nunc tantus amoris
Insedit cordi, clare STROBANDE, tuo.
En tibi substituit pro rapta vxore IVDITHAM
Qui casti thalami fœdera casta probat.
Non Genus huic Probitasq; deest, non copia rerum,
Cum Paphiâ formæ certat honore Dea
Hanc, quia Fata tibi iungunt, constanter amato;
Adde manus collo, pectus ad vsq; preme
Basia & e roseis rape basia casta labellis;
Et te legitimus sic moderetur amor.
Tu noua Sponsa etiam noua basia fige marito,
Musarum residet cuius in ore lepos.

Viuite

Viuite ſic iuncti; Pax aduolet aurea vobis;
Mutuus adſit amor, fomes amoris amor.
Floreat almus amor; fructuq́ue redundet opimo,
Qui ſtudeat ſummum percelebrare DEVM.
Chriſte DEI ſoboles Sponſorum gaudia firma:
Obfirma hæc caſti gaudia caſta tori.
Nam ſine te nihil eſt conſtans; ſunt omnia vana
Te ſine, mortales quæ precioſa putant.
Et, quia fatales pœnæ impendere videntur,
Tu nos cum Sponſis ſancte tuêre DEVS.

HEINERICVS STROBANDIVS
vel
IBIS CHRISTO VENERANDVS.

HENRICE Aonijs, dilecte ſororibus IBIS
Cum Sponſâ CHRISTO Sponſus VENERANDVS ad aram,
Et conſecrandus cæleſti numine: poſthac
Vt caſto in thalamo genus amplificare potis ſis
Humanum, & cælum & terram plantare deinceps.

IVDITA BENCENDORFIA
vel
CONFIDE BEANDA RITVI.

Et tu virginei flos illibate pudoris,
IVDITA BENCKENDORFIA
Altari aßiſte & CHRISTO CONFIDE BEANDA:
Aſſueſce RITVI nouo.
Iungitur ecce tibi Genere & Virtute STROBANDVS
HENRICVS ille nobilis:
HENRICI gnatus, qui Conſulis atq; Scholarchæ
Patriam iuuat fideliter

Officio, & cuius patet ardua ianua Musis.
Optamus ut vos sospites
Conseruet Christus: vitæ bona & omnia vobis
Vt affluenter suppetant.

HEINERICVS STROEBANDVS IV, DITA BENCENDORFIA, vel BENE: INDIVIDVA FIANT, SVB CHRISTO CREDO SERENA.

O BENE, conueniunt ipsis iam nomina rebus:
Promittuntq; huius prospera Fata tori.
Sic INDIVIDVA ut FIANT duo pectora posthac,
Iugiter oremus supplice voce DEVM.
Fiet. nam cœli præsens hoc gratia spondet:
Tempora SVB CHRISTO CREDO SERENA fluent.

Ænigmata I.

E trino ascendit dulcis Concordia fonte;
E reliquis discors turba sonora fluit.

II.

Quando teror digitis, roseo distillo cruore:
Me spectra & vulgus posse fugare putat.
Consolido ambustas partes: & putrida sano
Vlcera; ceu Medicus Pergamenæus ait.

III.

Cuncta videns oculus quidam sine fine rotatur:
Et natos vitæ procreat inde breuis.
Pòst natæ absenti fuscæ nascuntur eidem,
Quarum etiam durat tempore vita breui.
Post natos tandem, & post natas, circulus in se,
Cuius non certò scitur origo, redit.

IIII.

Quando sequor, cresco: sed cum præcedo, minorem
Ostendo faciem: nil propriumq; mihi est.
Acquisita meæ vesti est aliunde venustas:
Corpore quæ nunquam tango, mouere queo.

M. Ad. Freitagius T. G. P. C. F.

M. Bartholomæi VVilhelmi

HEINRICVS STROBANDVS IVNIOR.

Anagramma.

En his Naturis vir Bonus dicor.

IVDITH BENCENDORFINA.

Anagramma

Boni in hac fide durent.

ANACREONTICARCHILOCHIVM.

SIC te Sponsa tori nova,
Sic te cunctipotens Numen amet Deus,
Tædarumq; tegat Pater,
Obstricto Asmodeo syrtibus inviis.
O HEINRICE, seni indoles
Patri, Pierium qui columen chorum
Fulcit gnaviter inclytum.
STROBANDE; & thalami dimidium novi,
Et quam pectore denuò
Snspirasti, animæ dimidium tuæ,
Post luctum vidui tori,
Reddi jure Novi gestio fæderis.
REGINAM eripuit Tibi
Lethum, Reginulam illam, domui bona
Quæ REGINA fuit tuæ,
Cordi gemma tuo, delicium vnicum:

Iactura ah nimium grauis!
Et nunc te exhilarat IVDITHVLA, altera
REGINA, abſimile haud ei
Virginale decus, conjugij jubar:
Quæ compage tori quoq;
Suſpirante animo tibi jungitur.
Hæc ornet ſocium larem;
Communesq; focos; juncta cubilia;
Noctes, atq; operis dies
Rectè dictribuat; gaudia proſperis
Rebus conduplicet tibi;
Et morſus animi mutua in aſperis
Omnes verba doment tui.
Veſtrum hinc perpetuâ ſtirpe viget genus;
Tum matrisq; pia & patris
Rident nominaq;, ac oſcula pignorum.
En tanta vtilitas pijs
Exſtat comparium nullibi non jugis.
O ingentia commoda!
O & delitias non numerabiles
Caſtæ conjugis & probæ!
Quod monile viro, quæûe coronula
Gemmans, aureola eſt foris!
Quàm vitæ juveni mulſa medullula!
Quàm feſtiua domi; comans
Ævi lautities egelido ſeni;

Quàm

Quàm ſolatiolum grave
Mœſto; quamq; hilarâ feſtâ facetiâ
Ægro & languidulo pedum;
Firmoq; & valido lætitiæ ſeges;
Iro ſemper _ opes; opum
Croeſo dite penu gaza ſuperbior.
Hac donat timidum ſui
Author conubij CHRISTVS & Arbiter.
Hanc & congeminat viro,
Qui quandam viduo ſecubuit thoro,
Et qui non malè dicitur
Naturis Bonus, his, vir, fauitor ſimul.
Aſt, HEINRICE, Bonus his
Naturis, Anagramma hoc vt habet tuum,
Vt vir dicere ſexui
Ringente Aſmodeo, fæmineo. Tibi
Sic nexu quoq; fæderis
Adiungit lepidam jam Ioua virginem,
Compenſans bonitatem eam.
Nec ſolûm Bonus hic ingenijs faves;
O faviſti & adhuc faves
Muſis & chariſi non leviter bonis.
Ecquid non faveas? diu
Perquàm Pegaſeos imbuis alveos.
Te nunc caſtalidum æmulum
Omninò ingenio, moribus & Patris

Fidum præsidium sui
  Sperat turba Novena & magis indies.
O Musis decus aureum,
  Qui felix reperis vix parilem tui.
O Musisq; Bonum virum,
  Qui RE, Nomine sic Omine vir Bonus.
Quin te solicitat chorus
  Hac spe permaneas musicus & Fide.
Hac durentq; Boni in Fide,
  Vult IVDITHA suo sponsa Anagrammate.
Dicaris socio & thoro,
  Et Musis itidem vir Bonus optimis.
Sic te Stelliferum ad polum
  Blandus, suaviloquus, dulcis Anacreon,
Tollentq; Archilochus, lyra
  Omni tempore clanget lepidum melos.
Quare nunc vos mihi nobile
  Par, STROBANDE, Tuæ vir Bone sponsulæ,
Musis atq; DEO optime,
  Iam defuncte tori fædere pristini,
Cum desiderio altero
  Iam nubente nové ritéq; , amantium
Bis binis coalescite
  Binis corporibus: mens eadem jugis.
Expers conjugium mali
  Vestrum sit stabile & perpes in hoc solo.

ALIVD.

ALIVD.

NON omni largi velut imbres tempore durant:
Aër nec liquidus nubila semper habet.
Sic & in humanis subita est mutatio rebus:
Nam qui tristis erat, postea lætus erit.
Lætus erit: querulus cedit nam tempore iusto
Luctus, & expletur sæpè gemendo dolor.
Nam mæstos gemitus comitantur gaudia læta:
Res habet atq; suas omnis in orbe vices.
En qui dilectæ deflebas funera costæ,
Quæ tibi solamen deliciumq; fuit,
Nunc HENRICE nouas sentis in pectore flammas,
Queis IVDITHA piè te caluiße facit,
Iam dolor & luctus tristes in gurgite vasto
Mergantur; redeant gaudia grata tibi.
Altera, quæ repetis, casti connubia lecti,
Læta tuæ Sponsæ, sint tibi læta diu.
Et tempestatis perturbet nulla procella
Gaudia vestra grauis sidere cœpta bono.
In vestro thalamo Pax & Concordia regnent,
Nec turbent vestrum fata sinistra iugum;
Ad nutumq; fluant vestrum omnia: diuite cornu,
Fundat opes vobis dextera larga DEI.
Pignora nec lecti desint tibi, Sponse, pudici,
Quæ Matrem vultu, quæ referantq; Patrem
His, precor, alme DEVS, casti fundator amoris,
Vt iubeas votis pondus ineße meis.

Andreas Dasius coll. Gymn.
Thorun. honoris ergò F.

ALIVD.

ALIVD.

DVnque Arrigo mio vi baſt' il core,
La ſeconda volta le turbide onde
Del mar marital ſolcar, oue profonde
Angoſcie, dogli' e del animo merore.
Ma non mi meraviglio, poi ch' il Splendore
Chiaro della tramontana veggo, donde
Vi vien queſt' ardire, che ſprezzate l' onde
Della nobil ſtella vi pigliat' ardore
La ſpietata ſorte dolor', e affanni
Piu ch' allegrezze vi ha fatto ſentire
Nel primo letto, togliendo vi il ſole.
Queſta nobil pianta di Benckendorff molt' anni
Vi conſolera, e vi fara gioire,
V' empira il letto di car' e dolce prole.

ALIVD.

MOnſieur ſi le courage de voſtre amie
Egale celuy de Iudith, qui par armes
Tua Holofernes, dont changeant les larmes
Des Iuifs en ris, les mena de mort en vie.
Armez vous d' amour, vous rendez aſſeruie
Son ame par douceur, gardez que les charmes
Des ſes yeux ne vous pipent, ainſi ſes armes
Vous eſchapperez, et ſauuerez la vie.
Mais voyant ceſte rare beauté, ce beau port
I' ay peur, qu' a la fin elle ne vous face tort.
Croyez que ceſte douce guerriere, ceſte
Parfaicte beauté, quand au doux combat d' amour
Prouuerez vos orces, vous iouera tel tour,
Que mal gré de vous, vous baiſſerez la teſte.

F. P. F.